



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Regvlvs Episc. 30. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

nuerit, carnem quam oderit carnisque illecebras, inde, quod ab hac semper, dum vixit, abstinuerit; sed nec vinum admisit unquam, nisi Ratisponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum fuit & non nectar potius, quod cælum inuita tertio tunc miscuit. Iam virginē adultam illam, sed elinguem, & ab orco obsessam unâ operâ & linguæ vinculis & obsidione tam gravi liberavit. Plura alia miraque vel cum Antistita esset Edelstetta in Sueviâ, vel Diessa (nam huc sub vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt prodita, quod morbos reduces non silentibus minaretur. Crilli demortuæ fulmina exarmarunt. Pagum Diengensem cum dotem monasterio impetrasset, partem reddituum devovit sanctioribus panibus pascendis, qui sacrificantium usui cederent. Atque hoc est credo, cur ultimam ægrotanti solatia è cælo tulit VYRGO MAGNA, & cibum divinum Angeli ministrarunt, quando nec epulum, nec epuli spectacula, nec structores, nec convivæ nobiliores potuerunt esse.

*Ex tom. 4. ant. lect. Canisii.*

*Confitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam, ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chryf. ferm. 30.*

S. REGVLVS EPISC. 30. Martij.

**I**Ter in Gallias D. Dionysio cum gemino comite instituenti tertius comes REGVLVS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cum illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGVLVS ejus rei nuntias ternas columbas habuit,

habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, Deo posuit. Cùm ex humano hospitiis Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGVLÆ migrare. At quò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscrispsit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facillè indulgit. Nam cùm permulti inter vincula agerent, REGVLVS scipione clavis vicem usus, ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes dimisit; cumque urbi Præfectus unam pro omnibus vicariam victimam REGVLVM morti destinasset, in somnis Dionysius adfuit, mortemque, quam REGVLO parabat, ipsi iudici intentavit. Illud simul lepidum, simul mirandum. Ad concionem dicebat; sed dicentem garrula animalia ranæ sæpè sæpius interpellabant. Imperavit REGVLVS silentiam immorigeris, & ecce continuo tacitæ audiverunt declamantem. Dixisses tunc illas in homines iterum, hodie verò homines in ranas iterum abiisse.

*Ex Petro de Nat.*

*Si amor Dei tenere te non potest, saltem teneat  
& arceat timor Iudicii, metus gehennæ, laqueus  
mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis corrodens,  
sulphur sætens, tartarica & omnia mala. S. Ber. de  
Int. dom. c. 63.*

S. BALBINA V. 31. Martij.

**P**Vellis aliis sponsum forma, BALBINÆ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Admiraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unicè chara. Sed quia hinc  
Alexan-